

2 Occasionem præbet sacrorum Bibli-
orum inscriptio, quâ tota scriptura ad te-
stamentum aliquod refertur, & juxta du-
plex Testamentum in veterem & novam
distinguitur: quia extra testamentum Deus
homini nihil loquitur.

3 Testamentum in scriptura propriè
significat fœdus sive pactum à Deo cum
hominibus initum.

4 Estque duplex: Legale & Evangeli-
cum.

5 Legale rursus aliud ante lapsum fuit
cum protoplastis in paradiso erectum *a*: *a* *Genes. 2. v.*
aliud post lapsum cum Israëlitis in monte *16. & 17.*
Sinai factum *b*, quorum convenientia ma- *b* *Exod. 19.*
gna, differentia exigua fuit. *& 24. totis*
capp.

6 Utriusque perpendi debet 1. Solen-
nitas. 2. Bonum promissum. 3. Fundamen-
tum. 4. Conditio. 5. Finis.

7 Solennitas fuit, quòd Deus fœdus hoc,
primùm cum protoplastis in paradiso im-
mediatè erexit, & postea in monte Sinai,
cum clangore buccinæ, tonitru & fulgure,
vehementique strepitu in densissima nube
Israëlitis per ministerium Mosis repetiit.

8 Bonum promissum non fuit solùm
terrena felicitas, sed vitæ æternæ beatitu-
do, & gloriæ cœlestis possessio.

9 Fundamentum fuit natura hominis

A V